
SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV · ANG ·
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

3073

INDICES BOTANICI

ET

MATERIÆ MEDICÆ

QUIBUS

PLANTARUM GENERA

Hactenus instituta:

SIMPLICIUM

QUOQUE

Tam vulgarium, quam exoticorum nomina, & facultates summatim recensentur.

Accedit Horti Publici Bononiensis brevis Historia.



BONONIÆ

Ex Typographia Lælii a Vulpe. 1753.

Superiorum permissu.

Illustrissimis et Excelsis

Viris

Senatoribus Præstantissimis

FRANCISCO MARIÆ CAPRARÆ

LUDOVICO BONFIOLO

CORNELIO PEPULO

CAROLO MARIÆ GRASSIO

RAYNERIO ALDROVANDO

LEONIDÆ SPADÆ

Archigymnasii Bononiensis

In præsentem Annum

MDCCLIII.

Præfectis ac Moderatoribus

vigilantissimis.

ILLUSTRISSIMI ET EXCELSI PATRES.

*Eropportune accidit, Senatores Amplissimi, ut anno ineunte libellus hic prodiret in lucem, quo Archigymnasii administrationem capessentibus Vobis, nova lux quædam visa est optimis artibus, earumque cultoribus affulsisse. Nam cum ad materiem medicam, ac*

bota-

botanicen commodius tradendam, explicandamque, ac utriusque facultatis cupidos adolescentes erudiendos conscriptus fuerit; quod per se exspectare vix potest, ut solidam ac certam utilitatem pariat, id Vestris faustissimis auspiciis cumulate, ut spero, assequetur. Equidem in eo semper Majorum sapientiam admiratus sum, quod doctrinæ studia, ex quibus huic civitati eximium ac singulare decus accesserat, ad Reipublicæ summam referenda esse judicaverint, reique litterariæ Moderatores ex eodem illo Amplissimo Ordine deligi voluerint, qui publicam salutem, ac felicitatem prudentissimis suis consiliis tueretur, ac conservaret; quod scilicet præviderent fore, ut artes istæ liberales & ingenuæ, tanto præsidio confirmatæ, non modo vigerent, ac florescerent in dies magis, sed etiam fructus uberrimos ederent vel ad patriæ commodum, vel ad amplitudinem, ac dignitatem. Sit igitur Vobis commendatum, Consultissimi Patres, opusculum hoc, mole quidem exi-

guum,

guum, neque argumenti sublimitate, aut magnitudine spectabile; ejusmodi tamen, in quo & obsequium nostrum erga Vos, & implendi eas quæ nobis impositæ sunt partes, desiderium facile appareat. Hunc laborem Parens meus initio suscepit, librumque edidit anno ab hinc ferme tricesimo, ad illius temporis, quo botanicen, ac naturalem historiam docere ingressus fuerat, rationem accommodatum: qui cum, distractis exemplaribus, recudendus jam, immo & perpoliendus, & ampliandus videretur; id sibi oneris proximis temporibus assumpserat Petronius frater meus, his studiis, dum viveret, mirifice deditus, Hortique Publici jam sextum annum custos; nihil tunc antiquius habens, quam ut sibi patrocinium Vestrum aliqua ratione demereri posset. Eo immature sublato, Parente autem ætate jam ingravescente, ac non satis firma valetudine impedito, ut extremam manum novissimæ editioni imponerem necesse fuit. Vos interim precor,

Am-

Amplissimi & Excelsi Viri, ut hoc grati animi qualecumque argumentum, quo universa domus nostra beneficiorum Vestrorum memoriam prosequitur, libentibus animis excipiatis, eamque nobis benignitatem praestetis, quae praeclarum & ipsa decus Vestrum est, ac pulcherrimum ornamentum.

NOMINUM VESTRORUM

Cultor observantissimus
Cajetanus Montius.

HORTI PUBLICI BONONIENSIS BREVIS HISTORIA.



Ononiensis Academia, ut omnes ingenuas artes ac disciplinas, sic etiam Botanicam facultatem mature complexa est. Eorum qui, litterarum studiis ex diuturna oppressione paulatim resurgentibus, de re herbaria memoria dignum aliquid scripserunt, vetustissimus omnium celebratur Petrus Crescentius, nobili genere Bononiæ in lucem editus Sæculo XIII. nullo ille quidem, ut videtur, publico docendi functus munere; sed eruditionis ac doctrinæ, in primisque civilis prudentiæ laude commendatus. De ruralis vitæ commodis præclarum opus composuit, Carolo II. inscriptum Neapolitano Regi (1); in quo & fructuosissimam illam Botanices partem, quæ ad agrorum hortorumque cultum refertur, longo intervallo post veteres Græcos Latinosque revocavit, & potiora, quæ de herbarum viribus Medici illius ætatis docebant, agriculturæ præceptis subjecit: ut primus, qui rudibus sæculis Botanicum opus confecerit, fuisse existimetur. Non enim temporibus illis herbariæ rei studia a medicæ artis institutis distingui solebant; neque alii Botanici numerabantur, quam diligentiores Medici, quibus plantarum ad mor-

 bos

(1) *Caroli II. regnum ab anno 1288, quo captivitate exemptus fuit, ad an. 1309. Crescentius ipse natus esse dicitur anno 1230. vixisse annos 73.*

bos curandos utilium cognitio plus aliquanto quam ceteris cordi erat. Quo in genere Crescentii ætate, ac duobus post ipsum sæculis, claros in nostra civitate fuisse accepimus Bartholomæum, ejusque filium Gulielmum de Varignana, Mundinum Leucium, Albertum Zancarium, Christophorum Honestum, Petrum de Argillata (1); quos sive ex commentariis in Galeni, ac Mesuæ de Simplicibus libros editis, sive ex multiplici herbarum varietate ad medicamentorum compositionem adhibita, conjicere licet, non mediocrem, ut illis temporibus, in plantarum viribus inquirendis, explicandisque operam posuisse. Sub finem Sæculi XV. discussa penitus superioris ævi barbarie, ad hanc facultatem illustrandam plurimum visa est conferre posse accuratior & exquisita interpretatio Græcorum veterum; quod ex eorum scriptis, tamquam ex uberrimis fontibus, ut elegantior quævis doctrina, sic etiam plantarum cognitio haurienda esse putaretur. Neque huic studio nostros defuisse ex eo intelligi potest; quod, qui princeps in eo fuit ac omnium antesignanus, Nicolaus Leonicenus anno 1508; jam octogenarius, amplo stipendio Bononiam vocatus, medicinæ, cujus pars botanice tunc habebatur, simulque philosophiæ ex græcis codicibus interpretandæ munus obierit. Non multis post annis ad Simplicium explicationem proprio ac certo nomine profitendam destinatur Lucas Ghinus „ vir suæ ætatis clarissimus, qui in re plantaria indaganda parem fortasse habuit neminem, & alter in materie medica Dioscorides „ Matthioli sententia nuncupatus. Quamvis porro ipse Ghinus Horti publici Bono-

no-

---

(1) *Barth. Varignana mors anno* 1301. *Mundini anno* 1318. *Zancarii anno* 1347. *Honesti anno* 1392. *Argillata anno* 1423.

nonienſis conditor re vera non exſtiterit, quod conjecturæ quædam non leves oſtendere alias viſæ ſunt; ab eo tamen, ut a principe Archigymnaſii noſtri Botanico, commentariolum hunc ordiri operæ pretium duximus; ejus deinde ſucceſſores, qui Horto poſt illius mortem condito præfuerunt, per ordinem recenſere.

LUCAS GHINUS in caſtello agri Bononienſis natus, Corvaria Imolæ propter illius urbis propinquitatem dicto, modico nunc & infrequenti pago, in Caſalis Fluminenſis præfectura ad Vatrenum amnem ſito; idem poſtea civium numero adſcriptus, non utique Imolenſis, ut graviſſimi auctores, quibus locus ille ignotus erat, facile exiſtimaverunt, ſed origine pariter, ac civitatis jure Bononienſis fuit (1). Adoleſcens ſtudiorum cauſa mature in urbem venit, exactoque philoſophicæ ac medicæ inſtitutionis curſu, anno 1527 doctor renunciatus, ad medicinam publico e ſuggeſto explicandam aſſumptus eſt, non exſpectato, quæ illius fama erat, legitimo tempore: adjectumque anno 1534, ut Simplicium quoque naturam ac vires ſeorſum traderet: quod & omnium primus frequenti auditorum concurſu tunc effecit; & poſt annum 1537 ordinario & claſſico loco unice præſtitit (2). Anno 1544 a Coſmo I. Florentino Duce accerſitus in Etruriam migravit, ad botanicen in

(1) *Lucam Ghinum Imolæ, quæ olim Forum Cornelii dicta eſt, natum tradiderunt plerique; at Rotuli veteres Gymnaſii, & alia quæ in Bononienſi Archivo exſtant monumenta Corvarienſem nominant; in primis decretum Senatus, quo civitatis jus conſequutus eſt, die 28 Junii 1535. Sunt autem duæ in territorio Bononienſi Corvariæ, altera in ſuburbano colle, altera in editiori monte ad Imolenſium fines, vulgo* Crovara d' Imola, *quæ Lucæ Ghini patria.*

(2) *Doctor artium ac medicinæ dictus eſt die 17 Januarii 1527. Ut præter tempus Profeſſorum Albo adſcriberetur, Senatus privilegio obtinuit die 19 Februarii 1528.*

Academia Pisana, quod ante ipsum nemo fecerat; profitendam. Fuit autem ipse auctor Duci liberalissimo, ut nobilem in ea urbe Hortum Academicum, & alium Florentiæ non multo post instruendum curaret: inductus, ut credere fas est, recenti exemplo prudentissimi Senatus Veneti. Is enim omnium princeps anno 1545, Francisco Bonafidio inter ceteros adnitente, simile opus aggressus fuerat, Hortumque amplum & splendidum ad Academiæ usum Patavii construxerat, Aloysio Anguillara Romano, Lucæ Ghini discipulo ad illius curam suscipiendam vocato (1). Pisano Horto, qui anno, ut fertur, 1547 ad navalia illius urbis tunc primum conditus est, præfuit Ghinus ad totum annum 1554: quo expleto, ac in ejus locum Andrea Cæsalpino, quem ipse erudierat, succedente, Bononiam reversus, pristinam suam inter medicinæ Professores in Gymnasio recepit sedem: nec tamen diu tenuit; longo enim & insanabili morbo implicitus, cum ab omni fere scholastico munere vacasset, excessit e vita non multo ante kal. junias anni 1556, ætate, ut conjicere possumus, circiter sexagenarius. Italorum sine controversia primus fuit, qui montes & silvas peragrando, plantarum cognitionem magis ex natura ipsa, ejusque observatione, quam ex antiquis codicibus petere

(1) *V. Matth. comment. in Diosc. edit. Ital. 1548 in prol. & Papadop. Hist. Gymnas. Patav. Tom. I. pag. 13. —— Belonius de Negl. Stirp. Cult. probl. xx. Aloysium hunc Romanum falso Mundellam vocat, unde ortus error eorum, qui Aloysium Mundellam Brixianum inter Patavini Horti præfectos numerant. Bonafidius ipse, qui Horti condendi suasor fuit, curam illius non gessit, sed in Gymnasio simplicia professus, successorem habuit anno 1549 Gabrielem Falloppium. Primus igitur præfectus Horti Patavini Aloysius Anguillara, qui Bononia a Ghino fuerat institutus; & post ipsum Melchior Guilandinus. Quamquam primis illis temporibus Bonafidii, & Falloppii jus aliquod in Horto fuisse videtur, quod successores non tenuere.*

tere instituerет: clarus quidem Cæsalpini, Aldrovandi, Anguillaræ, Marantæ, aliorumque discipulorum fama, sed multo clarior futurus, si commentarios in Dioscoridem quos paraverat, & longe multa quorum ipse inventor exstiterat, proprio nomine in vulgus edere, quam ad Matthioli opus ornandum conferre maluisset. Constat sane Matthiolum de plantarum figuris exprimendis non ante cogitasse, quam intima Ghini amicitia per litteras uti cœpisset, ab ejusque benevolentia ac liberalitate omnia exspectaret: qui ex eo quantum profecerit, pro testimonio sint Cæsalpini verba: „ Matthiolus Senensis, opera Lucæ Ghini præceptoris mei, in ea facultate principis, qui dum in Academia Pisana Simplicia profiteretur, pulcherrima quæque, & notatu digna sibi communicabat, aliorumque studiosorum diligentia, opus egregium in Dioscoridem commentus est, ut fere nihil amplius desiderari posse videatur.„ Ghini mortem clari & illustres viri luxerunt, Falloppius, Matthiolus, Cæsalpinus, Aldrovandus; quorum litteras invicem scriptas, amicissimi desiderii plenas qui legerit, integritatis illius, fidei, religionis gravius aut luculentius argumentum non est quod requirat. Ejus lucubrationum, dum viveret, nihil prodiit: post mortem editus in Germania libellus est de luis venereæ curatione. (1)

CÆSAR ODONUS Aquilanus Bononiæ, ubi studiis operam dederat, anno 1542 doctor creatus, triennio post concedenti Pisas Lucæ Ghino successit, ejusque sedem ad plures annos occupavit; non modo in veteribus pro illius ætatis more interpretandis, sed etiam in inquirendis observandisque stirpibus præclare exercitatus (2). Post Ghini reditum, ejusque intra ses-

(1) *Edit. Spiræ 1589.* (2) *Anguill. Simplic. pag. 144. 281. &c.*

sesquiannum consecutam mortem, ad superiorem medicinæ cathedram traductus est anno 1556, ea conditione, ut ipse, & una Ulysses Aldrovandus de Simplicibus extra ordinem dissererent; quod Aldrovandus eo titulo ad annum 1560, Odonus in reliquum vitæ tempus festis diebus solus factitavit, anno 1571 e vivis ereptus. Exstat illius ingenii monumentum liber editus anno 1561, quo sparsas de singulis plantis Theophrasti sententias in ordinem digessit, itemque ad medicum opus spectantes quæstiunculæ duæ. Poeticen quoque in juventute coluisse dicitur, ejusque carminum volumen Mutinæ servari in Estensium Principum Bibliotheca.

ULYSSES ALDROVANDUS patricio genere Bononiæ natus anno 1522, ex antiqua & illustri Aldrovandorum stirpe Theseum patrem habuit, matrem Veronicam Marescalchiam, Hugonis Boncompagni, qui postea Gregorius XIII. P. M. fuit, consobrinam (1). Adolescens relicta, in qua Majores floruerant, post assiduam septem annorum operam, jurisprudentia, ad philosophiam, ac universæ naturæ investigationem conversus, Lucam Ghinum, qui Pisis tum degens æstivos menses Bononiæ transigere solebat, in privatis conventibus præceptorem audivit. Anno 1553 doctoris insignibus solemni ritu susceptis, ac intra paucos dies, liberalium Artium, ac Medicæ facultatis Collegiis adscriptus, mox etiam in Gymnasii Professoribus numeratus, dialecticæ, itemque sublimioris philosophiæ docendæ munus prope ad septennium obivit, Simplicium una expositionem ab anno 1556 cum Cæsare Odono extra ordinem professus. Anno 1560 ad natura-

(1) *Antonius Marescalchius, qui Senatoriam stirpem propagavit ad hæc tempora, sororem habuit Angelam, filiam Veronicam. Angela Marescalchia Gregorii XIII. Veronica Ulyssis Aldrovandi mater fuit.*

turalem de Fossilibus, Plantis, & Animalibus philosophiam novo & unico titulo destinatur: cujus provinciæ ornandæ studio quos labores exhauserit, quæ itinera susceperit, quos sumptus effuderit, cum perampla quam reliquit naturalium rerum supellex, tum instructissima bibliotheca, & conscriptorum ab eo voluminum multitudo abunde, vel nobis tacentibus, declarant. Sed immortalibus viri laudibus in aliud tempus reservatis, ea nunc tantum, quæ in Academia nostra ad botanices incrementa contulit, breviter persequemur. Clarissimum vero in hoc genere Aldrovandi monumentum est Hortus Publicus, ejus consilio & opera Bononiæ constitutus. Nam cum superiores illi nostri hujus facultatis doctores ac magistri, privatis ac domesticis hortis, quos exoticis plantis compleverant, ut Gesnerus de Ghino, de Odono Lobelius fidem faciunt (1), auditorum desiderio ac utilitati commode satisfecissent; cum alios passim teneret liberalis eadem cura & oblectatio (2); cum Paulus Poeta vir nobilitate ac divitiis inclytus amœnissima vireta, quæ magnificis operibus intra urbem exstruxerat, Botanicorum studiis patere voluisset (3); Al-

(1) *V. Gesn. Hort. Germ. pag. 267. 287. Lob. Adv. pag. 297.*

(2) *Erant horti botanici, antequam publicus conderetur, apud Canonicos Regulares S. Salvatoris, & in patricia Gozadinorum domo; de quibus meminit sæpissime Joannes Bauhinus.*

(3) *Ibi anno 1550 Lucas Ghinus, cum æstivas ferias Bononiæ ageret, Colocasiam Ægyptiam florentem ostendit, & veram esse Ari speciem, quæ res tunc in dubium vocabatur, liquido confirmavit. Factum pernegavit Anguillara, Ghinum ipsum fraudis insimulans, quasi Ari vulgaris radicem pro Colocasia furtim supposuisset [Simpl. pag. 127.]. Sed præterquam quod eum florem ad se a Ghino missum testatus fuerat Maranta [Meth. pag. 109.] Anguillaræ calumniam, ingratumque adversus præceptorem animum abunde refellunt Imperatus, Columna, Alpinus, Veslingius, & quotquot alii florentem etiam in Italia Colocasiam adspexerunt.*

Aldrovandus ad Academiæ dignitatem pertinere intelligens, ut nobilioribus Italicis hac parte non cederet, posteaquam Archigymnasii, aliorumque publicorum operum ædificationem anno 1564 absolutam vidit, postulare ac vehementer contendere cœpit, ut sede idonea delecta, Hortus etiam omni stirpium varietate instruendus publica auctoritate excitaretur: id ipsum, qui frequentes in hanc urbem ad discendum convenerant, studiosi bonarum artium adolescentes petebant; Senatui vero nihil antiquius erat, quam honestissimo eorum desiderio morem gerere. Post multas deliberationes, cum locus media in urbe, neque admodum ab Archigymnasio distans placeret, auctor fuit Joannes Baptista Doria nobilis Præsul, qui a S. Pio V. ad civitatem gubernandam missus fuerat, ut interior Prætorii area destinaretur, quæ olim anno 1365 ad septemtrionalem ejus murum in horti speciem consepta fuerat, cum Androinus de Rocha Cluniacensis Abbas & Cardinalis, ab Urbano V. Bononiæ Rector creatus, ædem illam sibi, suisque successoribus, & civitatis magistratibus domicilio futuram instauraret (1). Igitur Senatusconsulto in eam sententiam facto, totius operis absolvendi cura Odono, qui adhuc inter vivos erat, & Aldrovando ipsi data est; sed potissimæ Aldrovandi partes fuerunt, qui magno brevi coacto stirpium numero, Academicum

---

(1) *Valuit apud Gubernatorem Doriam superioris cujusdam consilii memoria. Anno scilicet 1555 Hieronymus Saulius Genuensis Archiepiscopus, qui Julii III. temporibus Prolegati nomine civitatem rexit, Botanicum Hortum in eodem solo condere instituerat; in eumque finem arboribus quæ ibi erant excisis, multa ad opus perficiendum necessaria Lucæ Ghini studio fuerant comparata: sed & Prolegati discessu, & Ghini deploratæ valetudine res sine effectu fuit. Ut igitur Pisani, ac Florentini Horti haud dubie conditor fuit Ghinus, sic etiam Bononiensis aliqua ratione videri potest prima jecisse semina.*

cum ibi Hortum præclare adornavit, aperuitque anno 1568; solus deinde anno 1571 & Præfectus ejusdem, & plantarum Demonstrator nuncupatus, titulo ab eo quo Naturalem Historiam in Gymnasio profitebatur distincto (1). Ad hunc modum conditus Bononiensis Hortus undeviginti annos in Prætorio stetit. Anno 1587 Henricus Cajetanus amplissimus Cardinalis, Sixti V. de Latere Legatus, nobilem in eo spatio cisternam, quæ magnam aquæ vim contineret ædificari jussit: egregium opus Franciscus Tribilia clarus architectus columnis, arcubus, ac superposita testudine ornavit. Interim dum alveus substruitur, dum in omnem partem euripi ducuntur, universum plantarum apparatum inde removere necesse fuit. Ad eum suscipiendum Vectigalium Præfecti, qui Archigymnasii ædificiorum, totiusque Academici instrumenti procurationem habent (2), fundum coemerunt domo, & horto constantem ad portam D. Stephani appellatam. Ac in Hortum quidem late patentem & irriguum plantæ omnes protinus translatæ sunt: ædium pars Aldrovando, pars Philippo Duliolo, qui Custodis nomine stirpium culturæ praeesse debebat attributa. Verum, quod locus ille in ex-

 tre-

(1) *Exstat in Bibliotheca Aldrovandica Volumen M. S. in fol. cujus titulus est:* Ulyssis Aldrovandi Philosophi ac Medici Bononiensis, Professoris publici Elenchus omnium Plantarum, quæ in Studiosorum Horto Publico, cui ipse præest, terræ gremio fuere commissæ ab anno 1568, quo primum fuit extructus, usque ad 1582. *Index est ordine alphabetico conscriptus, in quo singula plantæ variis nominibus pluries enunciata, ut certa numeri ratio iniri vix potuerit.*

(2) *Eugenius IV. anno 1437 civitatis Vectigalia ex portu Archigymnasio Bononiensi attribuit. Eorum administrationem anno 1508 tribus Doctorum Collegiis, Juris Pontificii, Juris Civilis, ac Medicinæ Julius II. concessit. E Collegiis singulis primum quotannis bini, mox quaterni anno 1515 deligi cœperunt Syndici; quorum numero adjuncti anno 1603 a Clemente VIII. septem Senatores. Ad hos Novemdecim Viros, manente annuo eorum munere, œconomica Archigymnasii curatio pertinet.*

tremo urbis ambitu minus commodus adeuntibus videretur, in pristinam sedem anno 1600 Hortum restitui placuit, area quadrifariam divisa, amplisque spatiis relictis, quibus ad cisternam liber aditus pateret. Anno 1603 Philippo Duliolo mortuo a Vectigalium Præfectis Horti Prætorio redditi administrationem retinentibus Paulus Gattus substituitur. Interim ferrea sepimenta & claustra ad Hortum ab injuriis defendendum parabantur, quibus anno 1605 collocatis, Aldrovandus ipse plenus annorum & gloriæ moritur; vir memorabilis, sui sæculi Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, ac Plinius a Boerhaavio jure appellatus. Ejus corpus funebri pompa, ac spectabili apparatu ad D. Stephani sepulturæ traditum est (1). Museum, Bibliothecam, & laborum suorum monumenta Senatui legavit, cujus perpetua liberalitate in gravissimis dispendiis, ac rei familiaris detrimentis sublevatus fuerat. Nam quod summa egestate pressus in nosocomio, ut quidam prodiderunt, vitam finierit, falsus apud exteras gentes rumor fuit (2). Ex innumeris quos habuit

(1) Natus die 11 Septemb. 1522 obiit die 4 Maji 1605. Aldrovandi vitam non modo illustrium in rem litterariam meritorum, sed inopinatorum casuum, ac fortunæ varietatis plenam huic brevi commentariolo includere non potuimus: accuratius eam describere alio tempore cogitamus.

(2) Senatus Bononiensis munificentia Emeritis legitimo tempore Professoribus de annuis eorum stipendiis, quantumvis cumulatis, nihil minuitur. Habuit autem Aldrovandus ab anno 1575 ea qua civibus etiam ad eminentes cathedras dari consueverunt amplissima, paucisque post annis multo majora. Accedebant opimi id temporis Collegiorum reditus, ut si vel maxime totius patrimonii jacturam fecisset, tamen ad vitam honeste sustentandam opportuna subsidia nequaquam deessent. Præterquam quod illius studia magni Principes suis opibus foverunt: Gregorius XIII. & Sixtus V. Pontifices, Franciscus I. & Ferdinandus I. Magni Etruriæ Duces, Franciscus Maria II. Dux Urbinas, Gabriel Palæottus, & Alexander Perettus Cardinales, itemque Joannes Baptista Campegius Majoricensis Episcopus, qui totam simul mille aureorum summam numerari aliquando ipsi jussit.

buit discipulis, Botanices laude illustres fuerunt Joachimus Camerarius, Matthias Lobelius, Joannes, & Caspar fratres Bauhini, Hadrianus Spigelius, Ælius Everhardus Worstius, & Joannes Cornelius Uterverius. Operum suorum quatuor ipse dum viveret edidit volumina: de Avibus tria, unum de Insectis; quintum de Crustaceis post mortem curante illius Vidua accessit (1). Reliquorum editionem Custodes a Senatu Museo, ac Bibliothecæ præpositi absolverunt.

JOANNES CORNELIUS UTERVERIUS (2) Delphii nobili Bataviæ urbe natus, quum liberali adhibita institutione, primam adolescentiam in patria traduxisset, uberioris doctrinæ cupidus in Italiam se contulit, permotusque Academiæ Bononiensis fama, in ea se optimis artibus erudiri voluit, anno 1592 Germanicæ Nationis alumnis adscriptus. Suscepto Medicinæ doctoris titulo anno 1594, Botanices, ac Naturalis Historiæ studiis apud Ulyssem Aldrovandum diu vacavit, cujus domo, & quotidiano convictu exceptus, sibique e sua Batavia religionis quam profitebatur causa exulandum esse intelligens, optimum præceptorem summa senectute in expoliendis, quæ mox editurus erat, primis operum suorum voluminibus occupatum plures annos fideliter adjuvit. Tulitque pietatis præmium: extincto enim anno 1605, ut supra ostendimus, Aldrovando, successor ipsi a Senatu datus est in utraque & Gymnasii, & Horti Publici sede, ejusque Musei, ac Bibliothecæ Custos honesto stipendio constitutus. Triennio post ad Philosophiæ Naturalis cathedram, quæ anno 1610 Simplicium rursus dici cœpit, socius Uterverio adscriptus Hieronymus

(1) *Edit. Bonon. ann. 1599. 1600. 1602. 1603. 1606.*
(2) *Dictus est patria lingua Joannes Cornelius VVtervver.*

Hermanus Bononiensis civis, ex Collegio Medicorum, qui tamen Horti Publici curæ numquam se immiscuit. Claruit Uterverius in ordinem redactis, editisque Aldrovandi voluminibus posthumis tribus: de Piscibus, de Solidipedibus Quadrupedis, ac de Bisulcis (1); sed hoc postremum morte occupatus anno *1619* implere non potuit. Proxime ab illius obitu Hermanus ad medicinam docendam translatus usque ad annum *1633* superstes fuit. Plantas, quæ in Horto Publico exstiterunt novissimis tribus quibus Uterverius vixit annis, peculiari libello recensuit, ediditque Ovidius Montalbanus ejus discipulus (2).

BARTHOLOMÆUS AMBROSINUS Augustini filius, honestissimo genere anno 1588 Bononiæ natus, post sedulo ac feliciter navatam in philosophicis ac medicis studiis operam, legitimos in utraque facultate honores anno *1610* consequutus, eodem fere tempore Academiæ Professoribus adnumeratus est, injuncto ipsi Dialecticæ primum, quadriennio post etiam Medicinæ tradendæ munere. Cumque ad ceteras viri laudes hæc etiam accederet, ut peritissimus Botanicus esset & haberetur, Uterverio mortuo anno *1619*, ad rem herbariam publice & in Gymnasio, & in Horto explicandam in ejus locum delectus est, Aldrovandici Musei custodia Camillo Baldo interim commendata. Anno *1630*, cum gravi pestilentia civitas conflictaretur, Ambrosinus ratione botanici muneris, infectorum curæ exemptus, ne in illa calamitate suis civibus deesset, libellum, quo plantas a Sanctis nomen habentes

ad

(1) *Edit. Bonon. ann. 1613. 1616. 1621.*

(2) *Editus anno 1624 libellus hoc titulo*: Index omnium plantarum, quæ in Horto Publico Bononiæ alebantur annis el. *1617. 1618. 1619 & 1620*: *continet plantas numero 630.*

ad pestilentiales morbos utiles esse ostenderet, Panaceæ nomine vulgavit. Aldrovandici Musei custodiam a Camillo Baldo depositam accepit anno 1634, inque posthumis summi illius viri scriptis illustrandis laboris & operæ plurimum impendit. Edita sunt autem Ambrosini cura volumina quatuor, de Digitatis Quadrupedis, de Serpentibus, de Monstris, ac Museum Metallicum (1). Anno 1642 Paulo Gatto Horti Custodi vacatio ante mortem data, ejusque successor designatus Jacobus Zanonius, cujus in Horto rarioribus plantis locupletando industria ac sedulitas enituit. Decessit Bartholomæus Ambrosinus anno 1657 septuagenario proximus: ejus monumenta in Archigymnasio exstant duo, alterum vivo positum anno 1618, alterum longe illustrius post mortem, cum marmoreo ejusdem simulacro.

HYACINTHUS AMBROSINUS Bartholomæi frater anno 1605, quo Aldrovandus e vivis excesserat, Bononiæ natus, iisdem quibus frater in adolescentia artibus eruditus, parem quoque anno 1629 Philosophi, & Medici titulum ac dignitatem adeptus est: quin etiam in publico docendi munere eidem exæquatus, cum, solemni edita super botanico argumento disputatione, clarum ingenii ac doctrinæ specimen præbuisset. Multos igitur per annos Simplicium explicationem una cum fratre in Gymnasio professus, ejusque in posthumis Aldrovandi operibus edendis adjutor, in re herbaria, quam unice coluit, egregie versatus; postremo etiam botanicis demonstrationibus in Horto præfectus est, cum eum locum Bartholomæus moriens anno 1657 vacuum relinqueret. At ille novo mu-

(1) *Edit. Bonon. ann.* 1637. 1640. 1642. 1648.

munere suscepto, libellum protinus emisit, quo plantas in Horto per id temporis exstantes diligenter enumeravit, & aliquot nondum editarum descriptiones & imagines subtexuit (1). Phytologiam deinde conscribere orsus est, peramplum opus ac laboriosum, quo & universarum stirpium nomina, & earumdem descriptiones, vires denique ac utilitates seorsum aliquot voluminibus persequi instituerat: de multis vero primum dumtaxat editum est anno 1666, usu, ob etymologicas nominum significationes accurate collectas, non contemnendo. Ipse ingravescente ætate, & adversa valetudine impeditus quæ cogitaverat perficere non potuit, mortuus anno 1672. Tempus quo Botanices decus in Academia nostra penes Ambrosinos fratres fuit, anni quinquaginta duo.

Nunc alterius clari viri mentio facienda, qui nisi in Ambrosinorum ætatem incidisset, haud dubie inter Botanicos Professores esset numeratus. Ovidius Montalbanus Bartholomæi filius natus Bononiæ anno 1601, familia vel tunc satis ampla, post etiam honoribus ac dignitatibus affluente. Uterverii, ac superioris Ambrosini discipulus, laurea anno 1622 in utraque facultate suscepta, illico in Collegium Medicum, quadriennio post in Philosophicum cooptatus est. Dialecticam, Medicinam, Mathesin, ac Moralem Philosophiam in Gymnasio diu professus vir ingenio versatili, multæque & variæ litteraturæ novo doctoris titulo in Jure Civili anno 1652 decorari voluit. Botanices ac Naturalis Historiæ amator summus, Bartholomæo Ambrosino mortuo anno 1657, in Aldrovandici Musei custodiam successit, ac postremum illius

(1) *Libri titulus* Hortus Studiosorum Bononiæ consitus; *recensentur in eo plantæ numero* 1487.

illius præclari operis volumen Dendrologiam evulgavit. (1). Excessit e vita anno 1671. Inter alia multa erudite scripta Hortum quoque Botanographicum edidit, ac Bibliothecam Botanicam (2).

JOANNES BAPTISTA CAPPONIUS Bononiæ natus est anno 1620, patre Joanne Capponio Medico, Philosopho, ac Poeta, qui ex Porrectanis Thermis originem ducebat. Adolescentulus amissi parentis vestigia persequens, emensusque mira velocitate optimarum artium cursum, anno 1641 Medicorum ordini adscriptus est: sed portentosa quædam ingenii magnitudo unius vel alterius facultatis continere sese terminis non potuit. Poeta elegans, Orator disertus, Græcarum & Orientalium litterarum intelligens, universæ Antiquitatis peritissimus, Anatomicus excellens: Dialecticam primum anno 1645, deinceps Physicam ac Moralem Philosophiam, Medicinam denique, & Anatomen in patrio Gymnasio per longum tempus explicavit. Botanicis studiis a pueritia deditus nonnullarum stirpium inventor fuit, longe vero plurimarum in suis itineribus diligens observator (3). Anno 1671, Ovidio Montalbano mortuo, Aldrovandici Musei custodiam assumpsit, paucisque post mensibus, anno 1672, a primaria Medicinæ sede Botanices Professor, Hortique Præfectus Hyacintho Ambrosino successit: quo tempore locus ille Custodis Zanonii cura peregrinis stirpibus ut cum maxime abundavit, quemadmodum ex illius docti viri Botanica Historia cognoscitur (4). Sed brevi tempore provinciam hanc administravit Capponius, anno 1675 morbo consumptus. Multorum ille quidem operum editor fuit, nullius tamen quo res herbaria magnopere illustre-

(1) *Edit. Bonon. ann. 1667.* (2) *Edit. Bonon. ann. 1660. 1657.* (3) *Vid. Ambros. Phytol. pag. 490.* (4) *Edit. Bonon. ann. 1675, & 1742.*

ftretur (1). Novissimus ex Horti Præfectis Aldrovandici Musei custodiam gessit, quæ post illius mortem Silvestro Bonfiolo tradita est. Hunc anno 1696 mortuum Dominicus Gulielminus excepit, quo Patavium vocato anno 1699, Joannes Ludovicus Donellus suffectus est, & post ipsum anno 1734 Philippus Antonius ejus filius ad annum 1742, quo Aldrovandicum Museum, eique adjunctum Cospianum in Scientiarum Instituto, ad præclaram quæ ibi erat supellectilem amplificandam, collocata sunt.

LÆLIUS TRIUMPHETTUS Sacerdos, Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Canonicus, Philosophus, ut ea tempora ferebant, acutissimus, Botanici quoque Professoris locum in Academia post Capponii mortem ad nostram usque ætatem implevit. Joannes Sanctes ejus parens Æsio Piceni urbe oriundus, Lælium hunc anno 1647 majorem filium suscepit, & alterum anno 1656, Joannem Baptistam nomine, qui claris & ipse Botanicis adnumeratus est. Lælius cum præstanti ac vivido ingenio juvenilium studiorum metam celeriter attigisset, in Philosophica institutione anno 1663 doctor renunciatus, ad eam facultatem publice profitendam anno 1667 raro exemplo delectus est, solutus legibus, quæ vel tunc quinque ac viginti annis minorem ejus muneris participem fieri quemquam prohibebant. Scholam ad erudiendos adolescentes cum aperuisset, in variis Philosophiæ partibus enucleandis per annos plus quinquaginta ita versatus est, ut & incredibili discentium multitudine principem facile inter doctores teneret locum, & extremis temporibus universos prope, qui tunc erant in Academia, bonarum ar-

(1) *V. Orland. de Script. Bonon.*

artium magistros, vel a se institutos, vel auditorum suorum discipulos agnosceret. In re herbaria, quam Hyacinthi Ambrosini præceptis, & Zanonii familiaritate usus subsecivis horis adolescens coluerat, tantopere profecit, ut Horti Præfectus, ejusque facultatis publicus interpres anno 1676 in Capponii locum subrogatus fuerit; quo tempore Joannes Baptista ejus frater Romam profectus, ut ad Juris scientiam, quam tenebat, usum etiam & exercitationem adjungeret, mutata sententia, Botanicen, quam Bononiæ didicerat, profiteri maluit, Hortique Academici in Janiculo positi anno 1677 curam suscepit (1): idemque postea in Romano Lyceo Simplicium explicator constitutus, de Plantarum Ortu ac Vegetatione librum emisit, in quo & varias a se tum primum observatas stirpes descripsit, & earum quas, ut novas, a Lælio fratre acceperat, Indicem promulgavit (2). Bononiæ Jacobus Zanonius Horti Custos, vir exercitatissimus anno 1682 e vita decedens, bibliotheca, & ampla naturalium rerum supellectile relicta, hujus quoque facultatis studium in posteros derivavit: ex quo factum est, ut anno quo hæc scribimus, post illius mortem septuagesimo, vacuam publici Horti custodiam Vectigalium Præfecti, jure quod antiquitus habent, in Petronium Zanonium adolescentem Jacobi pronepotem libentissime contulerint: tunc vero, proxime a Zanonii senioris obitu, eum locum Pompejus Zolius occupavit. Anno

c

(1) *Diversus est Hortus ab eo, quem S. Pii V. jussu in Vaticano instruxit Michael Mercatus Cæsalpini discipulus anno 1571, ut constat ex litteris Gaspari Cantoni ad Ulyssem Aldrovandum; quæ cum aliis illustrium virorum epistolis, in ejusdem Aldrovandi servantur Bibliotheca.*

(2) *Simplicium Professor creatus anno 1682 de Ort. ac Veget. Plant. librum edidit Romæ anno 1685; itemque annis 1699, & 1700 Prolusiones duas: Vindicias veritatis anno 1703.*

no 1695. ut essent duo qui Simplicia in Gymnasio profiterentur rursus contigit: Triumphetto adjunctus Nicolaus Cæsius, qui ex utroque erat Artium liberalium ac Medicinæ Collegio, perque annos quadraginta procul ab Horti Publici cura in eo munere versatus est. Tulit etiam illa ætas Joannem Carolum Amadeum Cæsii æqualem ac condiscipulum, qui etsi nullam Academiæ partem attigit, sed in medicina tantum facienda occupatus fuit, plantarum tamen cognitione ita excelluit, ut cum peritissimis & optimis in eo genere comparari posset (1). Joannes Baptista Triumphettus, cum variis Botanicis operibus in lucem editis claruisset, supremum diem obiit Romæ anno 1708. Lælius ad plures annos superstes vixit: cumque novum Bononiæ Institutum, ad Scientias & Artes per observationes & experimenta tractandas, quod in Archigymnasio ex antiqua consuetudine fieri non poterat, anno 1714 apertum esset, ipse grandis natu, ac summa inter suos cives auctoritate, primus illius loci Præses creatus est: adjectumque, ut esset Naturalis Historiæ Professor, a quo tamen se onere quinquennio post abdicavit. Reliqua munera tenuit usque ad mortem; quæ anno 1722 diuturno morbo languentem sustulit. In ejus locum Horti Præfectus, ac Botanicus Demonstrator a Senatu creatus Josephus Montius, qui paucis ante annis de Monumento Diluviano, ac de variis Graminum speciebus duo opuscula ediderat (2). Porro etsi hanc narrationem non ultra hoc tempus perducere nobis initio propositum fuit, singularem tamen accessionem, quæ proximis annis ad herbariam supellectilem facta est, prætermittere nullo modo possumus. Quum scilicet jamdiu com-

per-

(1) *Obiit senex anno 1727.* (2) *Utrumque editum Bonon. ann. 1719.*

pertum esset antiquum Hortum in Prætorio, ut supra ostendimus, collocatum, altisque ædificiis septum, ad nobiliores plantas alendas minus opportunum esse, neque ab externis injuriis satis tutum, re prudenter animadversa, Vectigalium Administratores novum Hortum in alterius supplementum anno 1745 instrui curarunt, eodem plane solo, in quo Academicus olim Aldrovandi temporibus constitutus fuerat. Sic geminata cura effectum est, ut rariores elegantioresque stirpes, ac eas præsertim quas remotissima mittit Africa, Academia nostra non amplius desideret. Ichnographicam utriusque Horti tabulam ad hujus libelli finem subjecimus.

Botanicis Professoribus hactenus memoratis clari aliquot Viri ex nostris adjungendi, qui erudite de Plantis, ac physico more scripserunt. I. Joannes Baptista Theodosius ortu Parmensis, a Mirandulanis ac Imolensibus adscitus, in Bononiensem denique civitatem amplo privilegio susceptus, Medicus doctrina excellens, anno 1527 ad eminentem Gymnasii sedem vocatus est. Serapionem, Avicennam, aliosque Arabes cum Græcis, Joanne Manardo hortante, conciliare aggressus, opus non perfecit, mortuus anno 1538. Extant illius Epistolæ Medicinales, & in his disputationes quædam Botanicæ ad Alexandrum Manzolium, & Antonium Albergatum, Patricios Bononienses hujus facultatis perstudiosos (1). Claruit etiam Philippus Theodosius ejus filius domesticæ laudis æmulus, qui anno 1537 Medicinam in Gymnasio explicare orsus est, vita functus anno 1554. Matthiolo amicitia conjunctissimus ejus scripta adversus obtrectatores in Academia nostra palam defendit. II. Hieronymus Cardanus

 Me-

(1) *Edit. Basilea 1553. Vide Epist. V. pag. 14. & Epist. LI. pag. 306.*

Mediolanensis, natus anno 1501, jure Bononiensis civis, ab anno 1562 ex primaria Gymnasii sede Medicinam professus est ad annum 1570. Nullam fere eruditionis non attigit partem, multaque de plantis in suis voluminibus docte perscripsit. Obiit Romæ anno 1576. III. Joannes Costæus Laudensis præter alia multa Commentarios in Mesuem edidit eruditionis plenos, itemque de Universali Stirpium Natura modicum volumen. Augusta Taurinorum Bononiam accitus anno 1581, superiorem Medicinæ cathedram ad plures annos obtinuit, vixitque ad annum 1598. IV. Marcellus Malpighius Patriæ nostræ, & Academiæ immortale decus, natus anno 1627, lauream adeptus anno 1653, Bononiæ, Pisis, Messanæ, iterumque Bononiæ Medicinæ Professoris publice docendo egit partes. Cum ad alia naturæ opera retegenda divinum adhibuit ingenium, tum primus omnium, ut inquit Tournefortius „ veram Plan„ tarum Anatomen instituit, & opus admirationis „ plenum exegit „ anno 1675. Innocentii XII. Archiater Romæ decessit anno 1694. V. Aloysius Ferdinandus Marsillius illustri stirpe genitus Bononiæ anno 1658, studiis ab ineunte adolescentia operam dedit, fuitque de illorum numero, qui rei militaris gloriam cum litterarum ac eruditionis laude conjunxerunt. Is neque ullam Historiæ Naturalis ac Botanices neglexit partem, & Fungorum maxime ortum, Marinarumque Stirpium naturam diligenter persecutus est. Excessit e vita anno 1730. Quod Scientiarum Instituti condendi primus Senatui auctor extiterit, suamque in id contulerit peramplam supellectilem, de optimis artibus, in primisque de Naturali Historia quantum quisque alius meritus fuit.

PLAN-

PLANTARUM
GENERA
A BOTANICIS
Hactenus instituta.

BOTANICES STUDIO ADDICTIS.

Cum a pluribus annis rei herbariæ explicandæ munus sustinentes, illud semper pro viribus efficere conati sumus, ut studiosis hujus facultatis adolescentibus facilem expeditamque, ad eam sibi comparandam præstaremus viam, nihil æque eorum profectui obesse cognovimus, quam numerum, ac multiformem varietatem nominum, quæ singulis, non modo ut olim speciebus, sed etiam generibus attributa sunt, crebrasque in eorum significatione & usu, quæ nostra præsertim ætate fieri solent mutationes. Qui enim se plantarum multitudinem in ordinem redigere, ac singula genera certis notis circumscribere profitentur, dum leges sibi impositas servare integras student, neque consuetudinis, neque eorum quæ alii fecerint aut senserint rationem habere possunt: sed vel nova quotiescumque opus fuerit nomina excogitare debent, vel inusitatas notiones veteribus subjicere; ex quo magna deinde in Botanicorum monumentis intelligendis ambiguitas existat necesse est. His difficultatibus, quæ discentium animos plurimum retardare solent, & alio tempore scriptis quibusdam nostris occurrere tentavimus, & nunc, si quid amplius proficere possemus, novissima hujus libelli editione experiri constituimus. Ex cunctis enim, nisi qui forte nos latuerunt, Scriptoribus, qui in re herbaria pertractanda certa ratione ac methodo usi sunt, nomenclationes genericas, quoad fieri potuit, accuratissime collegimus; ut facta earum inter se comparatione, quænam invicem responderent liquido nobis constaret. Quandocumque autem singulis generibus plura nomina, ut sæpissime accidit, a Botanicis imposita offendimus, unum ex eo numero tamquam primarium assumpsimus, ceteris quasi secundi ordinis sub eo collocatis. Primaria æque ac secun-

cun-

cundaria in eamdem alphabeticam seriem digessimus, qui ordo in eo libro, quem nomenclatoris cujusdam loco esse placebat, non tam commodissimus omnium, quam plane necessarius visus est: hoc tamen discrimine servato, quod primariis appellationibus & synonima universa ipsis convenientia, & Auctorum ex quibus deprompta fuerant titulos subjunximus; secundariis vero indices tantum notas adscripsimus, ad primi ordinis respondentia ipsis nomina ducentes. In ipso autem delectu nominum ea, quæ ut primaria adoptavimus, modo ex hoc, modo ex illo Botanico scriptore desumpsimus, nullius auctoritati addicti, vixque aliam rationem, quam qua apud nos maxime vigebat, consuetudinem secuti: non enim partes nostras esse putavimus, cum tot clari & docti viri in hac disponendarum stirpium provincia summa cum laude versati fuerint, cum diligentiam suam æque omnes ac industriam abunde præstiterint, vel nostrum in eorum controversiis judicium interponere, vel quemquam impense adeo sectari, ut alios improbare, aut etiam contemnere videremur. Commodissimum vero fuit botanicæ facultatis studiosos, qui jamdiu apud nos certis nomenclationibus assueverant, non nimis ab inveterato usu revocare; idque præsertim in plantis ad medicinæ utilitatem a longo tempore revocatis; quarum nomina in pharmaceuticis officinis tritissima, sine gravi confusionis periculo inverti aut immutari non potuissent. Ceterum cum sint genera quædam exoticarum præsertim stirpium nobis plane ignota, neque propriis adhuc notis satis definita, si forte in ipsis, eorumque nominibus recensendis ab Auctorum mente aliquando aberratum fuerit, Lectorem benevolum rogamus, ut æquo animo accipiat; quod, ut in rebus nondum penitus exploratis, ne hujusmodi aliquid contingeret, præcaveri a nobis omni ex parte non potuerit.

NO-

NOTÆ COMPENDIARIÆ

Ita explicentur:

Amm.	Ammanni Joannis Stirpium rariorum descriptiones. Petropoli 1739 in 4.
Amm. Act.	Ejusd. in Actis Petropolitanis Genera. Petropoli 1728 &c. in 4.
Ac. R. Paris.	Academiæ Regiæ Parisiensis Acta Parisiis.
Boerh.	Boerhaave Hermanni Index alter Plantarum Horti Lugduno-Batavi, cujus extat Pars prima & secunda. Lugduni-Batav. 1720 in 4.
Breyn. Cent.	Breynii Jacobi Centuria. Gedani 1678 in fol.
Breyn. Diss.	Breynii Joannis Philippi Dissertatio de Radice Gin-sem una cum Parentis Prodr. Gedani 1739 in 4.
Burm.	Burmanni Joannis Thesaurus Zeylanicus. Amstel. 1737 in 4.
Burm. Dec.	Ejusd. Decades Rarior. Afric. Plant. ibidem 1738 in 4.
Buxb. Act.	Buxbaum Joannis Christiani in Actis Petropolitanis. Petrop. 1728 &c. in 4.
Buxb. Cent.	Ejusd. Centuriæ Plantarum minus cognitarum. Petrop. 1728 &c. in 4.
Buxb. Enum.	Ejusd. Enumeratio Plantarum Agri Hallensis. Halæ Magdebr 1721 in 12.
Cat. Hort. Flor.	Catalogus Horti Florentini. Florent. 1748 in fol.
Catesb.	Catesby Marci Historia Naturalis Carolinæ &c. Londini 1731 in fol.
Commel.	Commelini Joannis, & Caspari Hortus Amstelodamensis 1697, 1701 in fol. Tom. 2.
Comment. Act. Scient. Inst. Bon.	Commentarii Academiæ Scientiarum Instituti Bononiensis. Bononiæ 1748 in 4. &c.
Condam. Act.	Condamine in Act. Ac. Reg. Paris.
Dal. Pharm.	Dalei Samuelis Pharmacologia. Londini 1737. in 4.

Dill.

Dill. Elth. Dillenii Joann. Jacobi Hortus Elthamensis, Londini 1732 in fol. Tom. 2.

Dill. Gen. Ejusd. Genera in Appendice ad Catalogum Plant. sponte circa Gissam nascentium. Francofurti 1719 in 12.

Dill. Giss. Ejusd. Catalogus Gissensis prædictus.

Dill. Hist. Musc. Ejusd. Historia Muscorum. Oxonii 1741 in 4.

Don. Donati Vitaliani Specimen Naturalis Historiæ Marinæ. Venetiis 1750 in 4. Ital. serm.

Feuill. Feuillee Ludovici Observationes in America Meridionali. Parisiis 1714, & 1725 Tom. 3. in 4. Gallico sermone.

Garc. Act. Garcin in Actis Philosoph. Anglicanis.

Gron. Gronovii Joannis Friderici Floræ Virginicæ Pars prima. Lugd. Bat. 1739.

Guett. Guettard Observationes Plantarum. Parisiis 1747 in 12. Tom. 2. serm. Gall.

Hall. Haller Alberti Enumeratio Stirpium Helvetiæ. Gottingæ 1742 in fol. Tom. 2.

Heist. Gen. Heisteri Laurentii Genera Plantarum in Indicibus rariorum 1730. 1731 in 12.

Herm. Hermanni Pauli Catalogus Horti Academici Lugduno Batavi. Lugd. Bat. 1687 in 8.

Hort. Mal. Hortus Malabaricus Henrici Rheede, & Joann. Casearii Volum. 12. Amstelodami 1678 &c. in fol.

Houst. Act. Houstonus in Actis Philosoph. Londinensibus in 4.

Jorh. Jorhenii Vade mecum Botanicum. Francofurti. 1717 in 12.

Isn. Act. Danty d'Isnard in Actis Acad. Reg. Paris.

Juss. Act. Jussiou Antonii, & Bernardi in Actis Acad. Reg. Paris.

Kempf. Kempfæri Engelberti Amoenitatum Exoticarum fasciculi V. Lemgoviæ 1712 in 4.

Kn. Knaut Christiani Methodus Plantarum. Lipsiæ 1716 in 12.

Lafit. Lafitau Francisci Comment. de Plant. Gin-seng. Parisiis 1718 in 8. Gallico serm.

Linn.

Linn.	Linnæi Caroli Genera Plantarum Lugd. Batav. 1742. in 8.
Linn. ed. pr.	Ejusd. Genera Plantarum: editio prior. Lugd. Bat. 1737 in 8.
Lin.Gen.Act.Ups.	Ejusd. Genera in Actis Upsal. 1741.
Linn.Gen.Amoen. Acad.	Ejusd. Genera Plantarum in Amoenitatibus Academicis. Lipsiæ 1749 in 4.
Linn. Ups.	Ejusd. Hortus Upsalensis. Stockolmiæ 1748 in 8.
Linn. Cliff.	Ejusd. Hortus Cliffortianus. Amstelodami 1737 in fol.
Linn. Cliff. Mus.	Ejusd. Musa Cliffortiana. Lugd. Bat. 1736 in 4.
Linn. Syst.	Ejusd. Systema Naturæ pluries edit.
Ludw.	Ludwig. M. Christiani Gottlieb Definitiones Plant. Lipsiæ 1637 in 8.
Magn.	Magnol Petri Novus Character Plantarum. Monspelii 1720 in 4.
Man.	Manetti Xaverii Viridarium Florentinum. Florentiæ 1751 in 8.
Mapp.	Mappi Marci Historia Plantarum. Argent. 1742.
Marcb. Act.	Marchant in Act. Ac. Reg. Paris.
Marcg. Brasil.	Marcgravii Georgii Historia rerum naturalium Brasiliæ. Lugd. Bat 1648 in fol.
Mart.	Martyn Joann. Hist. Plant. Rar. Decuria 1. &c. Londini 1788 &c. in fol.
Mich.	Micheli Petri Antonii nova Genera Plantarum. Florentiæ 1729 in fol.
Moebr.	Moehring Pauli Henrici Gerardi Nova Plant. Genera post appendicem Horti privati. Oldemburgi 1736 in 8.
Moris.	Morisoni Roberti Historia Plant. Universalis. Oxonii 1672, 1680, 1699 in fol.
Niss. Act.	Nissole in Act. Ac. Reg. Paris.
Petit.	Petit Petri Epistola Gallico sermone Namurci 1710 in 4.
Petiv. Gaz.	Petiverii Jacobi Gazophilacium Naturæ, & Artis Londini 1702 in fol.
Petiv. Mus.	Ejusd. Museum Ibidem 1695 in 8.
Plum.	Plumier Caroli Nova Plantarum Americ. Genera. Parisiis 1703 in 4.

Pont.

Pont. Anth.	Pontederæ Julii Anthologia. Patavii 1720 in 4.
Pont. Diss.	Ejusd. Differt Botanicæ. Ibidem anno eodem, eademque forma.
Pont. Epist.	Ejusd. Epistola una cum Compendio Tabul. Botan. Patavii 1718 in 4.
Prod.	Prodromus Catal. Stirpium Agri Bonon. Auctore Josepho Monti 1719 in 4.
Ray. Syn.	Raii Joannis Synopsis Stirp. Britannicarum: Lond. edit. I. 1690. II. 1696. III. 1724 in 8.
Riv. Ord.	Rivini Augusti Quirini. Ordines Plant. Lipsiæ 1690 &c. in fol. Tom. 3.
Roy.	Royeni Adriani Floræ Leydensis Prodromus. Lugd. Batav. 1740 in 8.
Rupp.	Ruppii Henr. Bernh. Flora Jenensis. Francofurti 1718 in 12.
Scheuc.	Scheuchzeri Joannis Agrostographia. Tiguri 1719 in 4.
Sesl. ep.	Sesleri Leonardi Epistola, una cum Spec. Hist. Maris Vitaliani Donati. Venetiis 1750. in 4. Italico sermone.
Shaw.	Shawii Specimen Phytographiæ Afric. in fol.
Sloan.	Sloane Hans Historia Naturalis Jamaicæ. Londini 1707 in fol. Tom. 2. Angl. serm.
Siegesb.	Siegesbeck Joannis Georgii Primitiæ Floræ Petropolitanæ. Riga Florich 1736 in 4.
Tourn.	Tournefort Josephi Pitton Institutiones Rei Herbariæ. Parisiis 1700.
Tourn. Act.	Ejusd. in Act. Acad. Reg. Paris.
Tourn. Cor.	Ejusd. Corollarium Inst. Rei Herbariæ. Ibidem 1703 in 4.
Trans. Angl.	Acta Philosophica Anglicana. Londini.
Trew.	Trewius in Commercio litterario Norimberg.
Vaill. Act.	Vaillant Sebastianus in Act. Ac. Reg. Paris.
Vaill. Bot.	Ejusd. Botanicum Parisiense. Lugd. Batav. 1727 in fol.
Vaill. Serm.	Ejusd. Sermo de Structura Florum. Lugd. Batav. 1718 in 4.
V.	Vide.

PLAN-

PLANTARUM GENERA

A Botanicis hactenus instituta

Cum universis eorum Synonymis alphabetico ordine enumeratis.

A

ABies Tourn. 585. Linn. 880. Roy. 88. Hall. 147. v. Larix.
Abrotanum Tourn. 459. Absinthium Vaill. Act. 1719. Artemisia Linn. 779. Roy. 153. Hall. 694. v. Draco.
Abrus Linn. Cliff. 488. Roy. 534. Orobus Tourn. 393.
Absinthium Tourn. 457. Vaill. Act. 1719. Pont. Diss. 222. Seriphium ejusdem 196. Abrotanum ejusdem 290. Artemisia Linn. 779. Roy. 155. Hall. 694. v. Draco.
Abutilon Tourn. 99. Sida Linn. 674. Roy. 348. Malva. Linn. 676. Roy. 356.
Acacia Tourn. 605. Mimosa Linn. 522. Roy. 470.
Acajou Tourn. 658. Anacardium Linn. 411. Roy. 465.
Acalypha Linn. 865. Roy. 200. Ricinokarpos Boerh. 1. 254. Burm.
Acanthium. Carduus Tourn. 440. Onopordon Vaill. Act. 1718. Linn. 762. Roy. 134. Hall. 674.
Acanthus Tourn. 176. Linn. 640. Roy. 304.
Acarna. v. Cnicus.
Acer Tourn. 615. Linn. 370. Roy. 459. Hall. 421.
Acetabulum Tourn. 569. Sertularia Linn. 984. Roy. 523. Androsace Don. 30.
Acetosa Tourn. 502. Rumex Linn. 357. Roy. 229. Lapathum Hall. 168.
Acetosella. v. Oxys.
Achillea. v. Millefolium, Ptarmica, & Eupatorium Mesuæ.

Agaue Linn. Syſt.
Ageratoides Pont. 183. Chryſanthemum Linn. 788. Roy. 174. Santolina Boerh. 1. 124. Balſamita Vaill. Act. 1719.
Ageratum Tourn. 651. Hall. 629. Erinus Linn. 629. Roy. 301. v. Carelia.
Agnanthus. v. Cornutia.
Agrimonia Tourn. 301. Linn. 464. Roy. 240. Hall. 407. v. Agrimonoides.
Agrimonoides Tourn. 301. Agrimonia Linn. 464. Roy. 240.
Agroſtema. v. Lychnis.
Agroſtis. v. Gramen.
Ahovai Tourn. 657. Thevetia Linn. 214. Roy. 413.
Aira. v. Gramen.
Aiuga. v. Bugula, & Polium.
Aizoon. v. Ficoidea.
Alaternoides Boerh. 2. 214. Philyca Linn. 189. Roy. 199.
Alaternus Tourn. 595. Rhamnus Linn. 184. Roy. 223.
Alcea Tourn. 97. Linn. 679. Roy. 357. Althæa Linn. 680. Roy. 357. Malva Linn. 676. Roy. 356. Hall. 362. v. Malva.
Alchemilla. v. Alchimilla.
Alchimilla Tourn. 508. Hall. 184. Alchemilla Linn. 122. Roy. 231. v. Linophyllum, & Percepier.
Alcyonium Tourn. 577. Don. 58.
Aldrovandia Comment. Acad. Scient. Inſt. Bon. T. 2. part. 3. 404.
Alectorolophus. v. Criſta Galli, & Pedicularis.
Alga Tourn. 560.
Algoides. v. Aponogeton.
